

Principes pii describuntur à contrario effectu improborum Principum, quòd opportuno & commodo ad edendum tempore cibum sumunt, (non manè, ut priores illi) cùm reipub. & juri dicundo operam debent impendere. Sicut Deus omnibus escam dat opportuno tempore; sic nos illam accipere decet, *Psal. 145. 15.* Quid quod ut reipublicæ inserviant, aliquando, ne tempestivè quidem cibum sumunt, vide *Efram 10. 6.* & *Joan. 4. 34.* Quam ad rem ut experrecti magis simus, meminerimus, impios tanto studio ferri illa persequendi quæ concupiscunt, ut sui veluti obliti damnum sibi adsciscant: vide exemplum *Esavi*, qui usq; eò venationi addictus erat, ut fame perire ex immodico venandi desiderio periclitaretur. *Gen. 25.* Alii etiam voto se obstrinxerant, fore ut neq; ederēt nec biberent, priusquā *Paulū* morte affecissent. *Act. 23. 21.*

Deinde à fine edendi describit, in cibis & potu temperantiam, nempe, corporis robur & animi vires. Multi sunt qui laborant ut comedant atq; bibant, cùm ideò comedendum & bibendum est, ut laborent. Multi vivere & valere cupiunt, ut edant & bibant, cùm contrà fieri debeat, edendum scilicet & bibendum ut vivant & valeant. Hæc magna perversitas est, & inversio ordinis, quem Deus posuit. Hoc disparatum illustrat: nempe,

M m 3 non